



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Audiendis confeſſionibus operam dat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

Audiendis confessionibus operam dat.

Sacerdos factus confessionibus excipiendis, inuitus licet, præficitur, alijsque obedire magis, quam sibiipfi credere elegit: Nouerat enim Deo pergratum, perque iucundum esse semetipsum ad aliorum voluntatem conformare: Mirum dictu nihil Philippo potius erat, quam vt solitariam vitam amplecteretur: ne sibiipfi tamen satis faceret, aliorum voluntatem cupiditati suæ antetulit, Christum ducem secutus, qui dixerat: Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui misit me. Et alibi rursus: Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.

*Ioann. 4
Ioann. 6.*

Confessionibus excipiēdis ita sedulo, assidueq; nauabat operā, vt suiipfius oblitus ab Ecclesia nūquā recederet, Nō parua hæc: sed hoc fortè mirū magis: magnā diei partē

in his

in his infumebat, nunquam tamen defatigabatur; tanta porrò cupiditate ardebat errantes animas ad bonam mentem reuocãdi, vt ex eo solum, quòd sederet in sella, qua ad audiẽda crimina utebatur, maximã caperet voluptatem, maximamque delectationẽ. Incredibile dictu est, quot, quantosq; ex peccatorum cœno ad meliorem frugem reduxerit, quot eius opera tum viri, tum femine adducti, & monasticam vitam rite complecterentur; vt nullum esset Religiosorum hominum institutũ, quod non plerosque è Philippi discipulis sibi acquisierit: Prædicatorum verò præcipuè familia tali prole fœundata florescebat: quotuè demum magis sceleribus astrictos è corruptissimis moribus ad emendatiorem vitam traduxerit, quique post, eo vsi magistro, abiectis curis inanibus, totos se ad seria conuerterint.

Quo tempore primũ excipien-
dis

dis confessionibus initium fecit, hominum peccata libentius, quàm feminarum audiebat: harum crimina excipere quoad poterat, fugiebat: Nouerat enim ille, virginalis suę pudicitie iacturam timens, dæmones Dei seruis, bonis etsi operibus occupatis insidias moliri non desistere, iis vel maximè, qui nimio plus sibi ipsi confidunt.

Illud hic attexam, quòd tam acet, & vigilans custos pudicitie fuit, vt coactus mulierum confessiones audire, eas in Ecclesia duris magis, quàm lenibus verbis exciperet, interdum vultu iram præferens. Quem morem vsque eò se tenuisse narrabat, quoad singulari Dei beneficio obtinuit, vt eas quoquo vellet modo exciperet. Quibus verbis non obscure insigne illud donum significare videbatur, quo id Deo dante affectus erat, vt omni planè sensu libidinis caruerit, vt ex eo tempore ad extremum vsq; diem marmoreæ cuiusdam

dam

dam statuæ instar esse videretur.

Amplius, audiendis confessionibus adeo sese occupabat quotidie (quo munere ad obitum vsq; egregiè perfunctus est) vt aduenientes filios non paucos (noctes enim ferme totas contemplationibus, piisq; precationibus insumebat) lecto adhuc decumbens audiret.

Surgens summo mane mox ibat in templum, non inde egrediens, nisi in signe aliquod, aut necessarium opus occurrisset, quod in aliam horam differri haudquaquam posset. Nec quisquam fuit, qui illum in Ecclesia non semper, vel certè non facile reperiret, ita omnibus promptam, ac gratuitam operam suam præbebat.

Templum, aut cubiculum assiduus incolebat, vagandi minime cupidus, nisi aliò, vel necessitas euocaret, vel charitas impelleret.